



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Apotheca Spiritualem Pharmacorum Contra Litem Contagiosam Aliosque Morbos

Wichmans, Augustin

Antverpiae, 1626

Cap. XLVIII. De S. Catharina Senensi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9653

» hora, si vita comes fuerit, habebis in utero filium. Et concepit mulier & peperit filium in tempore, & in hora eadem qua dixerat Elisæus. Veritas nempe est quæ
 Matt. 10. dixit: *Quicumq; potum dederit vni ex minimis istis calicem aqua frigida tantum in nomine discipuli, amen dico vobis non perdet mercedem suam.*

CAP. XLVIII.

De S. Catharina Senensi.

ETiam feminas ac Virgines Deo sacratas admittit hæc Curia Tutelaris, neque hîc locum habet, antiqui temporis in hac sacra Repub. dudû antiquatum decretum: In Senatum femine non admittantur. Ius ille hîc prætendunt & habent, quia Præses Virgo virginû est, cui aliquot sacras Assistrices hîc sub & adiungam. Prima occurrit æternum Italiæ decus, & Dominicanæ Ordinis perenne ornamentum S. Catharina Senensis, cuius heroicis & supra muliebrem sexum præclaris virtutibus commemorandis diutiùs non immemor. Solo eius audito nomine, veluti ex vngue leo, satis cognoscuntur. Ad rem nostram sequentia hæc pertinent. Anno salutis 1374. plus minus, cum pestis inguinaria Senas vastaret, accidit vt virum Ven. Matthæum nomine, qui domui S. Mariæ de misericordia præerat, ea pestis corripere. Id vt primûm ad sanctam Virginem perlatum est, festina ad illum accessit, & prius quàm ad eum appropinquaret, eminus clamare coepit: Surge Domine Matthæe, surge, non est jam tempus molliter in lecto cubandi. Vix illa verba compleuerat, & momento temporis pestis & apostema

B. Raimun. in vita Sanctæ, & ex eo Sur. 29. Apr.

stema dolorque omnis ita euanescere ut ijs numquam Matthæus laborasse videretur: lætusque & alacer è lecto consurgens, paulò post cum Patre Raimundo non ægrotorum, sed fortium hominum solidos cibos ederet. cuius præclari miraculi permulti testes fuere. Per idem quoque tempus Pater Raimundus Virginis confessarius, & Ordinis sui Generalis Magister, cum fidissimam quibuscumque adesse poterat nauaret operam, accidit ut & ipse contagione pestiferâ inficeretur. Tum verò ut potuit ad ædes sacræ Virginis Catharinæ se contulit: illa verò manus suas Raimundi capiti admouens, flexis genibus pro salute eius orabat Dominum. Inter orandum autem, ut sæpiùs aliàs, in mentis excessum rapta fuit. cumque ad dimidiam ferè horam ita permanisset, Raimundus sensim sanitatem recepit, prorsus ut ante quàm ipsa sibi restituta esset, planè curatum se sentiret, ciboque sumpto incolumis ad pristinos labores rediret. Frater Bartholomæus Patris Raimundi socius, eadem peste & acrius & diutius oppressus, sanctæ Virginis precibus sanitati itidem restitutus est. *Super ægros manus imponent, & bene habebunt.* Matt. 16. Sunt huius generis pænè infinita à Virgine patrata miracula, inquit præfatus Raimundus vitæ eius scriptor, quæ si ex ordine referre vellemus, vix iusto cuncta volumine comprehendi possent. Pulcrum est & ut credo Lectori ad gustum erit, quod de jam dicti Raimundi cognomine narrat Ferdinandus Castiglius. Erat moris in regno Aragoniæ, ut rex non eligeret confessarium sibi, sed is in Comitibus regni à statibus eligeretur ei que daretur. Cui rex non poterat benè vel malè facere ne vel spes vel timor retardaret confessarium ab officio suo liberè faciendo. Datus sic erat Iacobo regi Aragoniæ hic Raimundus, qui eum liberè ob concubinatum arguit. Cumque rex semper meliora sponderet, sed non præstaret,

ret, Raimundus ab eo missionem petijt. negavit ille, omnibusque nautis sub pœna capitis prohibuit ne quis Raimundum aliò transfueheret. Verùm Raimundus oratione suâ implorans Dei opem, accessit ad mare in eoque cappam suam facto signo Crucis extendit, in quam quasi in nauim inscendit, vtens scapulari pro velo & baculo pro gubernaculo, itaque secundo vento celerrimè nauigauit, adè vt sex horarum spatio in conspectum Barcinonis venerit, exscendens in terram collegit cappam, eamque adè siccam inuenit ac si mare non attigisset. Tota Barcinon fama huius miraculi excita ad virum adcurrit, quin & ipse rex cum tota aula sanctum cum discederet cappæ in nauigantem stupens & attonitus conspexit. hoc speculum sibi proponant Confessarij principū. Sed quod os, inquit quidam vir pius & doctus, sustineat allatrare principem pascentem se, aut à quo mitram expectat?

Ezech. 22 *Prophetae autem eius liniebant eos absque temperamento, dicit deplorando Ezechiel.*

Pingitur Sanctissima hæc Virgo Catharina cum stigmatibus quinque vulnerum Christi, quæ Pisis in templo S. Christinæ post sacram communionem è manibus B. Raimundi sumptâ & in ecstasi rapta, accepit à Christo. Vetuit quidem Sixtus Quartus in bulla quam refert Sedulius in notis ad vitam S. Francisci sub pœna excommunicationis, ne quis sanctū aliquem pingat cum quinque stigmatibus præter S. Franciscum. Dominicani tamen asserunt postea Pium Quintum cōcessisse, vt & S. Catharina cum stigmatibus pingi possit. quod hîc non impertinenter retulero ob imagines Ven. nostri Dodonis Præmonstratensis laici & discipuli B. Siardi Horti Mariani in Frisia Abbatis, quem etiam quinque stigmata Crucifixi accepisse vera eius vitæ Historia testatur. Obijt autem sacra Virgo anno 1380. die April. 29. quam

Pius

*Hiacyn-
tus Cho-
quet. &
Chryf.
vander
Stens.*

Pius Papa Secundus anno 1461. in Diuorum numerum retulit. qui de stigmatibus eius in hymno ita canit:

*Quo nequit dici sanctius per orbem
Vulnerum formam miserata Christi
Exprimis ipsa.*

C A P. XLVIII.

De S. Gertrude Niuellensi.

Solent & hanc beatam Virginem, nobilem Brabantie nostre plantam, utpote SS. parentum Pipini primi Ducis Brabantiae & Ittae sanctam filiam pij fideles contra pestem inuocare. Originem suam haec deuotio traxit jam ab annis paene quingentis, prout insinuare videtur Conradus à Liechtenauw Ordinis nostri Praemonstratensis in Germania olim Abbas Urspergensis in Chronico suo anno 1199. vbi agens de sacra illa & celeberrima Francorum & Belgarum ad recuperandam terram sanctam profectio, de pestilentia & igne sacro tunc grassante ita scribit: Gallias per annos aliquot nunc feditio ciuilis nunc fames, nunc mortalitas nimis affixerat; postremò plaga illa quae circa Niualensem sanctae Gertrudis Ecclesiam orta est, vsque ad vitae desperationem terruerat. erat autem huiusmodi. Tactus quisquam igne inuisibili quacumque corporis parte, tamdiu sensibili, immò incomparabili tormento etiam irremediabiliter ardebat, quo vsque vel spiritum cum cruciatu, vel cruciatum cum ipso tacto membro amitteret.

H h 2

Testan-